

**Dissertatio medica, inauguralis, de ictero ... / Eruditorum examini subjcit  
Petrus Gilroy.**

**Contributors**

Gilroy, Peter.  
University of Edinburgh.

**Publication/Creation**

Edinburgi : Excudebant Abernethy & Walker, 1807.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/aztvhyhx>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

---

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

ICTERO.

---

---

DISSERTATIO MEDICA

INAGURALIS

DE

ICTERO.

---

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

ICTERO ;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI ;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO ;

*PRO GRADU DOCTORIS,*

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS ;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

PETRUS GILROY,

*HIBERNUS,*

SOCIET. REG. PHYS. EDIN. SOCIUS, &c.

*VIII. Kalendarum Julii, horâ locoque solitis.*

---

---

*Fervens, difficili bile, tumet jecur.*

HOR.

---

---

EDINBURGI :

EXCUDEBANT ABERNETHY & WALKER.

1807.

350337

DISSERTATIO MEDICA

IN AGGREGATIS

DE

ICTERO

QUAM

ANNUNTIAT QUINQUE

ET AUCTORITATE REVERENDI ACADEMICI

D. GEORGI BAIRD, S. S. F. R. S.

ACADEMIE EDINBURGENSIS PRAEFATI

RECTORIS

ANGLICANAE ACADEMIE EDINBURGENSIS

PROFESSORIS ET PRAELECTORIS

PRO GRADU DOCTORIS

EDINBURGH IN AERIEA ACADEMIA

DATE ET FACITUR CONSPICUUM

RECTORIS ACADEMIE

PETRI CHRY



VII. Kilmarnock, The

EDINBURGH

EXCUBANT ARTHUR & WILSON

1807

ROBERTO SHAW,

ARMIGERO,

PRO CIVITATE DUBLINIENSI

*SENATORI,*

PATRIÆ AMORE,

OMNIBUSQUE VIRTUTIBUS QUÆ VIRUM ORNANT

INSIGNI;

HANC DISSERTATIONEM,

SUMMÆ OBSERVANTIÆ

PARVULUM MONUMENTUM,

OFFERT

*PETRUS GILROY.*

ROBERTO SHAW,

AMERICANO,

PRO CIVITATE DUBLINENSIS

RECTOR,

PATRIS AMOR,

QUI IMPROBIS VIRTUTIBUS QVE VIREM ORNANT

INTEGRISS

HANC DISERTATIONEM

AMORIS OBSERVANTIE

PATRIUM MENTEM

OFFERT

ROBERTO SHAW

VIRO

PRÆSTANTISSIMO PLURIMUMQUE HONORANDO,

SAMUELI MADDEN,

*ARMIGERO,*

DE HILTON, IN COMITATU MONAGHANIENSI,

ÆQUE MORUM SUAVITATE AC

VITÆ INTEGRITATE

MIRANDO ;

OB PLURIMA BENEFICIA IN SE SUOSQUE COLLATA,

HOCCE OPUSCULUM,

ANIMI GRATI

EXIGUUM TESTIMONIUM,

SACRUM VULT

AUCTOR.



VIRI

PRESTANTISSIMO PERFECTIONE HONORANDO

SAMUELE MADDEN

AMERICANO

DE WILTON, IN COMITATU MONAGHANENSE

HOUE MORUM SUIVITATE AC

VITE INTEGRITATE

MIRANDO

ON THE FIRST EFFICIENCY IN THE COLLEGE

HOUE OPUSCULUM

ANNAE GRATI

EXIGUUM TESTIMONIUM

SACRAM VULT

AUCTOR

NECNON,

VIRO INGENIOSO ERUDITISSIMOQUE,

GULIELMO WILMOT,

CHIR. &c. &c.

*MEDICINAM CHIRURGICAM*

IN CIVITATE DUBLINIENSI

FELICITER AGENTI;

PROPTER PLURIMAM ERGA SE AMICITIAM,

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS,

DICAT

AUCTOR.

ACTOR

VIRO INGENUO ERUDITISSIMO

GUILLEMO WILMOT

CHR. 3c. 3c.

MEDICINAE CHIRURGICAE

IN CIVITATE DUBLINENSIS

FELICITER AGENTIS

PROPTER FERISSIMAM ERGA SE AMICITIAM

HABERE STUDIUM PROMITTAS

DIGAT

ACTOR

# DISSERTATIO MEDICA

## INAUGURALIS

DE

# ICTERŌ.

---

---

**H**EPAR, morbi sedes, de quo pauca dicere institui, organum est tanti momenti œconomix, ut omnes animalium ordines ab homine ad ima insecta eo instrui videntur. Tanta est ejus utilitas, ut celeberrimus **BOERHAVIUS** omnia abdominis viscera, et necessario omnes eorum functiones concoquendi, assimilandi, nutriendi et fæces alvinas dejiciendi eo niti affirmare haud dubitavit.

Aliquibus noxiis particulis ut sanguinem exoneraret, jecinorem à natura destinatum om-

nes fatentur : quare primo aspectu mere organum depurationis intueri inducimur ; sed naturæ providentiam, cùm eam has noxias partes usui systematis aspiciamus servantem, haud satis miremur. Nam bilem ad chyli formationem quodammodo conferre ; et ad intestina stimulanda, ut eorum contenta dejiciant, indispensabilem esse nemo sanus abnegare potest.

---



---

### HISTORIA MORBI.

Hoc morbo nec sexus nec ætas immunis esse videtur : attamen inter studiosos, sedentarios et ætate provectoros aspicitur maxime grassari.

Lassitudo, anxietas, appetitus cibi imminutus, animi et corporis languor, cum dolore et ardore ventriculi icterum antecedunt. Cùm hæc signa unum aut alterum dierum perstiterint, tunicæ oculorum adnatæ et unguium radices

induere luteum colorem incipiunt ; et flavedo paulatim per faciem, collum et totius corporis cutem diffundere sese percipitur. Nunc tensio et hypochondrii dolor dextri, respiratio difficilis, nausea, aliquandò vomitus, sitis magna cum aucto ventriculi dolore ad vertebrae dorsales tendente ægrum fatigant. Urina croceum colorem assumit, et subnigrum sedimentum deponit, atque lintea ei immixta flavedine tingit. Fæces naturalem speciem cum odore amittunt, et cineream aut albidam cum majore spissitudine acquirunt : alvus plerumque astricta est ; sed aliquando diarrhœa subvenit : saliva amarescit ; cutis arida fit, et prurigo intolerabilis toto corpore sentitur. Pulsus varius est ; interdum quam in sanitate tardior. Motum ægrotus valde aversatur ; situm erectum haud bene tolerat ; cibo assumpto, dolor augetur ventriculi. Sæpe fit ut hæc symptomata, brevi post tempore reditura fugiant ; sed plerumque redeunt, iterumque sine magno ægroti discrimine discedunt. At si sine aliqua intermissione notabili diu persisterint, cutis subnigram speciem induit ; quæ a nonnullis icterus niger nuncupata fuit. Aliquando objecta oculis ictericis flavedine tinc-

ta videri dicuntur. Nunc a dolore ventriculi magis atque magis opprimitur æger ; et in varias jecoris, pectoris et abdominis partes jaculatur. Jecinoris regio tumescit, et sine ægroti cruciatu haud tangi potest. Aliquando a singultu, rigoribus atque animi deliquio obruitur ; macies totum corpus occupat ; crura tumescere incipiunt ; et ascites, hemorrhagia, hectica aut apoplexia optata morte miserum ab angoribus eripiunt.

---

#### CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

INTER præcipua, quæ huic morbo obnoxium reddunt corpus, vita sedentaria, mœror longus, indoles animi studiosa cum provecta ætate sunt recensenda. Luxuriosus vivendi modus sine exercitatione, victus concoctu difficilis, artificia, quæ inclinationem corporis requirunt, omnia homines ab ictero affici proclives subjiciunt. Quoniam liquores spirituosus et vinum omnibus, qui affectionibus hepatis laborant,

noxia inveniuntur, nimius eorum usus morbo regio conferre habeatur.

---

### CAUSÆ OCCASIONALES.

OBVIUM est, quodcunque liberum bilis transitum in duodenum impedire, icterum inducere.

Inter principes hujus morbi causas calculi biliarii, lumbrici et fel viscidum in hepatis ductibus hærentia sunt enumeranda. Ut hæ concretiones icteri sint causa aliter quam ductum communem choledochum implendo haud compertum habemus. Quando nullus aditus hepar inter et vesicam fellis, præter cysticum et hepaticum existit, apud omnes constat, si horum prior ab his concretionibus confertus fuerit, bilis regurgitationem in vesicam cessare; et si hepaticus et choledochus vacui sint, fel in duodenum haud posse non fluere: quare nihil ab vasis absorbentibus hauriri potest, præter illius partem, quod in vesica manebat quando ductus impletus fuerat; quod, si non fallor, ad icterum



procreandum haud satis esset; et quod huic sententiæ maxime suffragatur, calculi in vesicis fellis et ductibus cysticis inventi fuere hominum, qui nunquam ictero laboraverant, imo qui bonam et longam vitam vixerant\*.

VAN SWIETEN inter permultos, qui sub ejus inspectione pro hujus morbi medela fuerant, vix ullos sine calculorum dejectione sanatos affirmat.

Violenta animi pathemata, qualia sunt ira, terror, atque hysterici paroxismi icterum excitare observantur. In MORGAGNII operibus de juvene legimus, qui propter aliquam animi perturbationem ab ictero invasus fuerat: materiem coloris luridi evomit; febris, delirium et convulsiones tertio die accesserunt; et quinto morbi die comatosus mortuus est. Inciso cadavere, hepar pallidulum et flaccidum inventum est; luridum fel in vesica; et in ventriculo aliquid ei simile quod ultimis diebus morbi vomuerat. VAN SWIETEN similia recordat.

Multa in ventriculum devorata, qualia sunt cathartica drastica, emetica violenta et venena, icterum excitare dicuntur.

---

\* Vide MORGAGN. HALLER, &c.

Transitus in duodenum fellis schirro, aut aliis tumoribus ductus comprimentibus, interpellari potest; et necessarie inducatur hic morbus. Non desunt haud parvo nomine auctores, qui à venenosorum et animalium domesticorum moribus initium ducere affirmant. Assuetarum vacationum suppressio, sitis magna, perspiratio valde profusa, febres intermittentes, frigus post calorem corpori admotum a nonnullis causæ habentur. Mulieres gravidæ in postremis gestionis mensibus, utero in duodenum premente, ei fere obnoxia sunt. Infantes quoque, propter meconium in intestinis diutius remorans, ab eo sæpe afficiuntur.

De modo quo bilis in systema revehitur, an sanguineis vasis an lymphaticis, a medicis multum disputatum fuit; et adhuc sub iudice lis est; quare de re dicere aliquid jam nunc haud necesse videtur; nam,

“ Non nostrum inter vos tantas componere lites.”

---

---

### RATIO SYMPTOMATUM.

LASSITUDO, anxietas, animi dejectio, dolor ventriculi, nausea &c. ab circulatione sanguinis per jecinorem tardata, et ab imo consensu ventriculum inter et hepar originem ducunt. Nemo, cui est ulla peritia de hujus organi complicati structura et usibus, et quomodo a sanguine suppeditatur, ulla obstructione aut illius affectione omnia laborare abdominis viscera nescit.

Flavedo tunicarum adnatarum oculorum, cutis et urinæ cum salivæ amaritudine bilis præsentia, ut cinerea stercoris species ejus absentia pendent. Pruritus fit propter fel per tenera superficie vasa diffusum, et nervos ibi lædens. Doloris levatio, quæ ab corporis inclinatione oritur, relaxatione nititur partium; quod in hoc situ non tantum quantum in erecto irritare possunt calculi: et eodem restat fundamento dolor, qui a pleno victu infertur. Corporis livor

a fluidis bile vitiatis diu in vasis remorante, et ad putredinem vergente proficisci dicitur. Singultus et rigor diaphragmate jecinoris dolorem per nervos participante pendent. Bilis in tunicis oculorum adnatis primum aspicitur, quia globuli sanguinis rubri, in sana oculorum conditione, per hæc vasa exilia meare non possunt. Majorem sentiri dolorem, dum calculi in duodenum protruduntur, quam cum manerent in ductibus observatum fuit; quod, propter obliquam insertionem choledochi in duodenum, fieri ratum est; ut majore sensilitate quam ductus hoc sit præditum.

---

#### PHÆNOMENA INCISIONE.

VARIA inter, quæ, incisis cadaveribus hoc morbo defunctis, nostris oculis obvia veniunt; calculi sunt biliarii in vesica fellis, ductibus et hepate hærentes. Hæ concreciones variæ, et maxime inter sese differentes, a variis auctoribus repertæ fuerunt. VAN SWIETEN se multorum

hominum cadavera incidisse, qui hoc morbo e medio exierunt, et calculos biliares semper invenisse, qui magnam varietatem quoad colorem, duritiem et magnitudinem exhibuerant; sed usitatissimam speciem, quam præbuerant, colore et pinguetudine Venetiæ saponis parum abesse; omnes propemodum figuram pyramydalem præstasse; et, sejunctis, nucleum flavum in eorum mediis invenisse affirmat.

Structura eorum magna ex parte lamellis composita est; et quoad colorem maxime inter sese discrepant. Prima eorum forma, secundum MORGAGNIUM, rotunda est; et varietatem a compressione ortam esse dum molles ait. Intima aliquorum structura ex stratis eodem tendentibus circulare, aut alia figura illi calculorum conveniente conficitur; in aliis radiorum a medio ad circuitum invenitur species\*. In nonnullis interius medetullium vel nucleus vix a naturali felle discrepans compertum fuit, quanquam partes exteriores inventæ fuerunt duræ; alii caseo similes †.

---

\* Vide M'LURG.

† Vide MORGAG.

Hepar nonnunquam aridum atque corrugatum corio haud absimile, et tenui tegmine velatum, quod in secando crepitum velut membrana edidit, VAN SWIETEN, atque alii non minoris famæ viderunt. Ductus communis chole-  
dochus interdum induratus et in ligamentum contractus invenitur. Jecur aliquando schirros-  
sum est; et steatomata, atque alii hujus generis tumores, in variis ejus partibus observantur. Splen et pancreas haud rarò ampliata inveniuntur. Ramos venæ portæ cum vasis omenti et intestinorum multùm ampliatis; atque cartilagine-  
nes, ossa et omnes corporis partes felle tincta nonnulli viderunt\*.

---

### DIAGNOSIS.

ICTERUS ab omnibus aliis morbis oculorum, cutis et fœcum colore facilè dignoscatur; sed, ut hæc signa raro aut nunquam sese manifes-

---

\* Vide VAN SWIETEN.

tant, donec morbus aliquot dies perstiterit, pauca renumerare symptomatum, quibus ab his affectionibus, ad quas propius accedere videtur, distinguere possit, operæ pretium erit.

Tantus consensus ventriculum inter et viscera contigua existit, ut vix horum quodvis sine illius discrimine affici possit. Sic inquit sagax **HEBERDEN**: “Ventriculus sæpe laborat malis  
“ non suis, simul dolens cum aliis corporis par-  
“ tibus.” Idem auctor se ventriculi affectionibus homines per multos annos laborantes vidisse, et has affectiones in morbum regium postea desiisse affirmat; et alios scivisse, qui dolore ventriculi obscuro propemodum quamdiu degebant vitam laboraverant, et post mortem calculos in eorum vesiculis fellis esse compertos. Unde apparet, ut hepatis affectiones ad dispepsiam facillime ascribantur. Alvus astricta, tensio, inflatio et dolor ventriculi, utrisque morbis videntur communia. Dolor in ictero acutior, et remissionibus fere obnoxius est: in dyspepsia fæces in siccis, duris et subviridibus massulis deijciuntur. Eventus utrorumque morborum fere sunt iidem; nisi quod hæmorrhagia aut apoplexia morbo regio nonnunquam finem faciunt.

Si ad pulsum et alvi statum attendamus, ab ileo facile dignosci potest. In hoc frequens, durus et interdum debilis est pulsus; in altero haud sæpe quam in sanitate frequentior; et alvus in ictero facilius movetur. Hepatitidis chronicæ dolor magis obtusus est et constans quam morbi regii; et non distinctam flavedinem hujus, sed colorem luridum exhibet.

### PROGNOSIS.

CAUSA, habitu corporis, ætate et modo vitæ ægroti multum pendet hujus morbi eventus. Si æger sit juvenis, et ab nulla alia affectione oppressus, vix quidquam timendum est; sed si sit senex, cui sæpe recurrit morbus, et præsertim, si hydrope quoque afficiatur, maxime periclitatur.

“As far as I know, (inquit Doctor ONTYD), no  
 “instance of a recovery from confirmed jaun-  
 “dice combined with dropsy has hitherto been  
 “known.” Cutis subnigra et saliva amara in-  
 fausta sunt signa. VAN SWIETEN se nunquam



scivisse ægrotum de oris amaritudine conqueri, sed in ictero inveterato notat. Quando ab obstructione oritur, non tam periculösus quam ab hepate schirroso. Sic ait celeberrimus HIPPOCRATES: “Εν τοῖσιν ικτερικοῖσι το ἥπαρ σκληρον γινεσθαι πονηρον.” Discrimen est magnum si a febre comitetur morbus. Cum ab jecinoris inflammatione originem ducat, raro medelam efficere sperandum est. “Ex iis (inquit HEBERDEN) quos suspicatus sum inflammatione jecinoris laborare, quidam intra decem dies mortui sunt, alii cum morbo suo conflictati sunt duos menses. Leves mentis alienationes, et cutis modo lutea, modo coloris naturalis, interdum pustulis notata, his ægris fuerunt præter communia febrium signa.” Contra, si animi pathemata non violenta, qualia sunt brevis ira, aut levis aliqua mentis perturbatio morbum excitaverint, ultro fere discedet. Icterus gravidarum raro ullum aliud medicamentum postulat, præter aliquid ad alvum liberam servandum; quoniam parturitio, ni alia causa præter graviditatem existit, morbo finem semper faciet. Affectio infantum facile amovetur. Quandocunque ventriculi dolor atque hypo-

chondrii tensio remittunt ; et flavedo cutis oculorumque itque reditque, maximas spes recuperationis obtinere licebit. Hic calculos adesse putemus ; quam varietatem fere solam morbi celeberrimus **CULLENUS** esse sanabilem putat\*.

#### RATIO MEDENDI.

Ex omnibus morbis, quibus humanum corpus plectitur, perpauci tantum quantum icterus medicinæ conamina fefellerunt. Nec est ullus pro cujus curatione tam multa varia remedia ab imperico et medico adhibita fuere : et tam impotens quidem fuit medicina ad ejus medelam, ut inter medicorum opprobria ordinatus fuit. At tamen, si non affectionem omnino amoveamus, conamina nostra ad gravissimorum symptomatum levationem sunt dirigenda.

---

\* Vide First Lines.

Indicationes curatoriae ad tria capita reduci possunt :

Primo, dolorem et irritationem levare.

Secundo, causam occasionalem amovere.

Tertio, redeunti morbo obviam ire, et ad pristinam sanitatem redigere ægrum.

*Indicatio Prima.*—Sanguinis missio, opium, fomenta et balneum tepidum hoc consilium ferre præstabunt.

Nemo medicina imbutus nescit ad dolorem et irritationem levandum, et quietem conciliandum maxime efficax esse opium. Et, ex medicorum doctissimorum sententia, in hoc morbo haud parca manu adhibendum est \*. Præterea, si quando hunc morbum excitaverint spasmi, opium unicum est remedium cui fidere possumus. Fomenta et balneum tepidum eodem consilio indicantur ; et fortasse ad nullum aliud remedium feliciore spe refugimus ; quoniam non tantum ad irritationem amovendam, sed etiam solida relaxando ad propellendum calculos in duodenum conferunt.

---

\* Audi Prælectiones Doctoris STOKES.

Si pyrexia adsit, ad venæsectionem cito confugiendum est; nam nihil adhuc tam potens ad inflammationem præveniendum vel amovendum invenimus.

*Indicatio Secunda.*—Emetica, cathartica atque diluentia, cum ope remediorum, quæ supra memoravimus, hanc intentionem fere explebunt.

Emetica a nonnullis in hoc morbo repudiata fuere; sed ex mea sententia sine causa evidente. Attamen in eorum usu quoad tempus et modum exhibitionis circumspiciendum est. Si pyrexia aliave diathesis phlogisticae signa urgeant, nemo sanus ad emetica decurrere vellet; nam in hoc statu, et præsertim si æger pleno habitu corporis sit, vasa turgida, circulatione sanguinis per hepar tardata, vi vomendi disrumperentur, et lethalis induceretur hæmorrhagia. Sed cum nec febris nec plethora eorum interdicat usum, faustissima spe adhibeantur; quando viscera comprimendo, et ductus biliarios emulgendero concretionum expulsionem multum favent. Quoniam emetica violenta per se icterum inducere rata sunt, mitiora tantum sunt adhibenda: ad quod consilium implendum tutius aut effica-

cus ipecacuanhæ radice nullum videtur medicamentum.

Cathartica fautores et inimicos in hac affectione quoque habuerunt; sed nemo, qui eorum effectus in ictero unquam notavit, utilitatem et necessitudinem abnegare potest. Attamen illis, qui cathartica drastica, qualia sunt scammonium, gambogia &c. exhiberi jubent, haud consentirem. Ut intestinorum torpiditas hoc morbo semper adesse videtur, haud ullum alium modum huic obviam eundi, quam lenia cathartica sæpe repetita administrando compertum habemus. Submurias hydrargyri in hujus morbi medela a nonnullis multùm laudatus fuit; sed aliquid commodi supra alia purgantia possidere haud adhuc cernere potui: et ullam vim specificam icterum medendi ei inesse (nisi hepar schirrosus sit) mihi non est verisimile. Cathartica, quæ præcipue in usu sunt, et, ex mea sententia, quibus maxime fidere possumus, sales sunt medii, oleum ricini, atque pilula aloëtica Pharmacopœiæ Edinensis.

• Multa atque varia medicamenta, spe calculos biliarios intra corpus solvendi, adhibita fuere; sed quoad scio nihil adhuc hanc vim possidens

reperitum fuit. Alkalini fixi hoc consilio et ad fluida attenuanda ab antiquis, et præsertim BOERHAVII discipulis multum usurpati fuerunt. Et tametsi hanc indicationem nequaquam præstare possunt; tamen, propter intestinorum torpiditatem in hoc morbo fere semper molestam, ea stimulando ad eorum contenta dejiciendum, utiles inveniuntur\*.

Quod ad diluentia spectat haud multa verba poscit. Quam utilissima hæc sunt in omnibus obstructionibus, at præsertim si afficiantur intestina, vix observare necesse est; et in hoc morbo propter fæcum spissitudinem præcipue indicantur. In hac ut in omnibus hepatis affectionibus, maximi est momenti abstinentia. A vini, liquorum spirituosorum atque carniarum usu abstineret ægrotus; et vegetabile diæta omnino victitaret. In Commentariis VAN SWIETEN in aphorismos BOERHAVII de homine legimus, quem usu graminis ictero sanavit. M'LURG hoc ad vegetabilium proclivitatem inducere diarrhœam attribuit; rem icteri

---

\* Audi Prælectiones Doctoris HOME.

medelæ tam amicam ; sed, nisi fallor, aliqua laus abstinentiæ debetur. Albumen ovorum aqua dilutum, vel recenti lactis sero, a nonnullis auctoribus multum laudatum fuit ; præsertim in constitutionibus debilibus ; et postquam alia remedia defecissent, morbum amovisse dicitur\*.

Quamquam nullus est morbus, in quo æger exercitatione magis abhorret ; attamen vix est ullus, in quo magis necessaria evadit. A medico præstitui debet ; et modus atque genus ad constitutionem, robur et ægroti ætatem accommodanda sunt.

*Indicatio Tertia.*—Idonea attentio ad exercitationem et regimen, cum causarum prædisponentium evitacione, ad hoc consilium explendum fere sufficiet. Cinchonæ, ferri atque aliorum roborantium nonnulli commendant usum : Sed si ad illa, quæ modo memoravimus, diligenter ascultaverit æger, raro ad hæc confugere necesse erit.

---

\* Vide LEAKE on the Viscera.

The first part of the report deals with the general  
 situation of the country and the progress of the  
 various departments. It is followed by a detailed  
 account of the work done during the year, and  
 a summary of the results. The report is  
 divided into several sections, each dealing  
 with a different aspect of the work. The  
 first section deals with the general situation  
 of the country, and the progress of the  
 various departments. The second section  
 deals with the work done during the year,  
 and the third section deals with the results  
 of the work. The report is divided into  
 several sections, each dealing with a  
 different aspect of the work. The first  
 section deals with the general situation  
 of the country, and the progress of the  
 various departments. The second section  
 deals with the work done during the year,  
 and the third section deals with the results  
 of the work.



